Tractatus domini Dominici Mancini de passione domini.

MAGISTER GREGORIVS KONITZ AD LECTOREM.

En deus aſtripotens celſo deſcendit olympo
Deſtruat infernos mors vt acerba lacus:
Pro quo perpetuas huic cures ſoluere grates
Subditus opprobrijs quia tua ſpurta gerit
Deuotus domini deplangas vulnera lector/
Inclines ſupplex & tua corda deo.
Dulciloqui legas Mancini carmina vatis
Suſpirans lachrymas tempus ad omne dabis.

Impr. Lipsk, Thanner, 1508

MAGISTRI G. B. DE KONITZ AD CHRISTVM ORATIO.

O mundi pastor/cœlum: stellasq; gubernans/
Ad patris dextram qui loca clara tenes.
Respice nos miseros/sceleris quos sarcina turbat
Ne subeant animę tartara nigra tuę/
Pro quibus ad terras celso descendis olympo/
Exoptans diram sumere Christe necem:
Inferna moriens seruū qui ducis ab vnda/
Sint sibi vt æterni grandia regna patris.
En pietas ingens ꝓprio q[illegible] sanguĩe ab vmbris
Restituis populos Christe benigne tuos.
Tortores dominū te tractant quē ęthera adorant:
Quemq; orbis totus/tartara & atra tremunt
Humano parcas generi/quod dextra creauit
Que maria & terras fecerat atq; polos
Parce precor nobis ob castę vulnera matris/
Que tulit ad męstam/virgo pudica/crucem.
Des quicunq; tuę mortis memoratur acerbę
Post fata/ætherea spiritus arce cubet.

Non hymni laudes

[illegible]

DOMINICI MANCINI DE PASsione domini nostri Iesu Christi Liber.

PROPOSITIO.

N On hoi͂m laudes/nec fortia facta virorũ
Promere nũc meditor:multo maiora re-
Concepi:nã gesta dei/qui e virgine matre (ferre
Natus homo:terras se[illegible] demisit ad imas:
In medium insolita cupio memorare camena:
Nec series rerum gestarum tota canenda est/
Sed mors/& cause mortis referentur inique
Quam voluit Christus pro toto pendere mundo
In cruce:Iudeę:Pilato preside/terre.

INVOCATIO VIRGINIS ET Euangelistarum.

V Irgo faue ceptis queso sanctissima nostris:
Cuius opẽ supplex frustratus nemo vo-
Me rogo concilies nato/mysteria cuius (cauit:
Aggredior/vires mihi det conatibus equas:
Det mentem stabilem/duros perferre labores/
Euadam vt voti compos/quo scribere possim
Quod mihi corde sedet/quod tota mente voluto/
Scribere sit mihi fas/non vllo numine leso
Quicquid diuino nuper calefactus amore
Spiritus admonuit/non hec audatia culpę/
Nec data sint vitio que scribam carmina vates

Sit labor hic superis gratus: populisq; futurus
Vtilis/vt capti primum modulamine musę:
Admittant sensim Christi subeuntis amorem
Et vos o fidei q̄ luculentissima nostrę
Lumina/Ioannes/& Luca: tu quoq; Marce/
Mathei socii/de Christo vera loquuti/
Este duces vatis vestigia vestra sequuto/
Versibus vt possit constringere quicquid vbiq;
Sparsistis variis concordi mente libellis/
A serie ne sim lapsus/ne sarcina carnis
Obsistat sanctis gerimus que pectore votis
Dicite sed primum causas/quibus impia gens est
In facinus tantum/tantum quoq; lapsa furorem
Vt Christo immeritam cōquireret vndiq; mortē.

DE CAVSIS IN GENERE QVIbus principes sacerdotū moti/ mortē in Christum sunt meditati.

Eruebāt totū miracula clara per orbem
Que dabat in populos diuulgās noīa pa(tris
Christus/& obiurgās iudeū crimina verbis
Pontificum nulli parcit/nulliq; minorum/
Dum mala condemnat/dum q̄ sunt optīa mōstrat
Iam pars magna deum plebis veneratur adorat/
Cum videat multos/fuerant qui lumine capti:
Optata excussis/ nunc vti luce/tenebris
Cunq; olim mutos/spectet nunc munere lingue

Fungier/& certas voces resonare loquentes:
Cernebat pariter/nonnullos limina vitę
Trangressos/rursus vitali vescier aura/
Infernasq; domos linquentes/surgere viuos.
Tum: qui non poterant pelli de corpore/morbos:
A Christo pulsos/qui ventis imperat ipsis/
Et mare tranquillum sub tempestate reducit/
Qui potuit plantis ęquor percurrere tutus:
Panibus & quinis qui milia quinq; virorum
Expleuit/lymphas qui in bachia munera vertit/
Erexit claudos/& surdis reddidit aures/
Corpora spiritibus soluit vexata malignis:
Turba sacerdotū contra irritata fremebat.
Talia ꝙ Christus faciat/quodq; ipsa notata est
Luxurię: fastus: & rerum turpis amoris.
Sed mage nec Christo credat plebs tota/verētur/
Atq; ideo spreti/toto spolientur honore.
Nanq; vident/populus ꝙ iam studiosius audit
Verba dei: sacro loquitur que filius ore.

DE CONSILIO A IUDEIS INITO: et primo eorum conatu: vt Christum caperent.

Vm timor hec igit̃ cruciat/liuorq; perurit
Pectora pōtificū: cęperūt querere causas
Vt damnare virum possent/& tradere morti.
Cunq; dies festus/quem Cenopheia dicunt

Luxisset/famulos mittunt cōprehendere Christū
Dum docet in templo venientes vndiqꝫ turbas.
Sed quia prescriptę mortis non venerat hora/
Qui fuerant missi non hunc tenuere ministri.

DE DVABVS ALIIS CAVSIS IN specie/& conatibus Iudeorum vt Christum lapidarent.

Joan. viij. circa finem:

c Vm etiā rursus cū circūstante caterua:
Diceret/haud Abraā fuerat q̊ tp̄e iā sum
Sed prior ipse fui: succensi protinus ira
Accurrunt/lapides quo iactent/agmine facto/
Obrutus vt iactis pereat sub pondere saxis/
Sed fugiens latuit Iesus/temploqꝫ recessit.

Joannis. x. circa finē capituli

Nec minus & lapides iterum iactare parauit
In Iesum exanimem mittat quo prorsus ad orcum
Gens fera: qꝫ Iesus dixit presente corona/
A patre non alius sum natus/sed sumus vnum/
Et pater est in me/pariter sum natus in ipso.
Nec tamen iniecit lapides/sed seipsa repressit/
Q; manibus prensum sperauit turba tenere/
Ille sed e manibus lapsus/se ad tuta recepit/
Et fugiens vltra Iordanem: littus amauit
In quo baptisans Ioannes ante manebat.
Ad quem mirantes multi venere/fidemqꝫ
Exhibuere suis dictis/precepta sequentes.

DE RESVRRECTIONE LAZARI potissima causa mortis Christi Cayphas sacer dos offitio vtit̃ ꝓphetico:& ĩ Christũ cõspirat

INterea dum littus amat:tutosq; recessus
Incolit:a Martha Mariaq; sororibus ecce Joãnis .xi. per totum.
Nuncius affertur:quo iam properare rogabant
Bethaniam vellet castellum/nanq; laborat
Lazarus e morbo grauiter/mortemq; timebant.
Is fuerat frater Marthę Marięq; sororum.
Quos omnes miro Christus dilexit amore.
Id quoq; castellum Solyma distabat ab vrbe
Octonis stadiis/quod sub dicione tenebant
Nomine cõmuni solo cum fratre sorores.
Audiit vt Christus quia corpore Lazarus ægro
Esset:adhuc binas cessat discedere luces
Consulto:mox inde suis nos inquit oportet
Tendere Bethaniam:prorsus mora cesset/eamus.
Respondent illi:non equa id mente ferentes:
Cum lapidum memores essent/actiq; furoris/
Illuc ire paras/vbi nuper perditus esses
Huc nisi fugisses.credis quod miserit iras
Gens infensa tibi:sed Christus reddidit illis/
Dum lux est terris graditur quicunq; viator/
Sed cum nox venit/sistit:tectoq; quiescit.
Lazarus in somno est:vadam quo surgat/& illi
Respondent igitur/qui credunt esse quietis

Somnum/:ꝙ cœpit languens dormire valebit.
Rem tunc explicuit/defunctus munere vitę est
Lazarus/& letor/quo vos credatis/ad illum
Iam carpamus iter:venerunt ergo profecti/
Quadriduo clausus cum iam tellure fuisset.
Nec tamen adueniens Castelli mœnia primum
Intrauit Iesus/propius sed constitit illud
Tum forte aduentus Marthę peruenit ad aures
Ante alios/aures nanqꝫ illa arrecta manebat/
Obuia tum cunctis dimissis/sola cucurrit
Mœnia preteriens/vbi coram constitit/illa
Tunc lachrymans inquit/frater nō mortuus esset/
Si domine hic presens illo languente fuisses/
Sed quodcunqꝫ deū posces/non tempore serum est
Omne dabit nato:nihil est quod deneget ille.
Respondit dominus/iam frater Martha resurget
Et viuet rursus/fateor tunc illa/sed id cum
Consurgent omnes/aderuntqꝫ nouissima mundi.
At dominus referens/ego sum surrectio/vita/
Quisquis me credit viuet reuocatus ab orco
Si sit iam functus/nec si sit viuus obibit
Aeternum/credens sed mecum vixerit omnis
An mihi que dico credis?tunc annuit illa/
Atqꝫ abiens properat Marię narrare sorori
Aduentum domini:spem concipit inter eundum:
Attamen & metus/superat spes ipsa timorem.

Tunc Maria in medijs domibus permesta sedebat:
Quam stantes circum consolabantur amici:
Quiq; e longinqua fuerant regione profecti.
Que subito vt tacito monita est/velotior aura
Currit:& egrediens portas cito constitit illis
Christus vbi stabat/qui nondum venerat intro.
Hanc:& que circum fuerat/tunc turba/secuta est.
Ploratū ad tumulū:nam tēdere quisquis putabat/
Vt stetit ante pedes/cecidit/sublapsa;iacensq;
Ceu foret exanimis/tanto confecta dolore est/
Vix inter lachrymas fatur/non frater obisset/
Si dum languebat presens hic Christe fuisses.
Hanc spectans Iesus plorantem funera fratris
Que laniata comas complebat planctibus auras/
Spectans & meste lachrymantia lumina turbe
Vocibus & palmis testantis corde dolorem:
Infremuit grauiter turbatus pectore toto/
Versus ad astantes/inquit/monstrate sepulchrum
Quo posuistis eum:ducunt tunc otius ipsum
Ad tumulum flentes/& tonsi pectora pugnis
Nec tenuit lachrymas pergēs: quin pectore rursus
Infremuit tumultum spectans/turbeq; frequenti
Tollite ait lapidem/lapis est nam desuper ingens
Spelunce/qua corpus erat.sed Martha vetabat
Id fieri/ne turba graui premeretur odore/
Quadriduo iacuit dicens/feteq; cadauer:

At dominus cōtra/Martham conuersus ad ipsam/
Non ego te monui/toto si pectore credas/
Q; liquido cernas q̄ magna est gloria patris.
Post oculis cœlum dominus suspexit/& inquit/
Gratia summe pater tibi sit/quia postulo si quid
Das mihi: post magnam misit sic pectore vocem:
Lazare surge/foras prodi: tunc Lazarus ipse:
Paulatim membra attollens/se erexit in altum
Tanq̄ de somno surgat/sic ossa tremebant/
Sic titubant artus/& nutat pondere moles/
Vt solet in longa passus ieiunia febri.
Sed consuta tenet pedibus manibusq; ligatum
Insita/tum faciem constringunt linthea vinctam
Soluite ait dominus/postq̄ fuit ille solutus.
Astitit incolumis/ceu nunq̄ mortuus esset
Lazarus/atq; iterum viuis se miscuit ortus.
Hec fieri vidit Iudeum maxima turba/
Credidit atq; videns: sed quidam tunc phariseos
Pontificesq; adeunt/narrant que gesta fuere
Concilium cogunt illi/dicuntq; vicissim
Quid facimus/nam signa facit: si mittimus illum
Sic: omnes credent/veniet Romona potestas/
Atq; locum nostrum tollet tum deniq; gentem.
Tunc vnus Cayphas ex ipsis: munere fungens
Pontificis/tanq̄ vates/hec protulit ore:
Expedit hoc vobis/pro tota gente/q; vnus

Occidat/vnius populus sit morte redemptus/
Ne gens tota cadat: sic sic est ille propheta
Impius exorsus: nam non hac mente ferebat/
Vt credat populi sic consuluisse saluti/
Sed quia tūc summus redimitur honore sacerdos:
Res fuerat veras mendaci corde loquutus.
Ergo iam ex illo Iudei tempore querunt
Vt perimāt hoīem/dederant mandata per omnes
Finitimas oras/vt si quis viderit ipsum
Indicet/vt capiant: Christus secreta petebat/
Non ausus prodire palam/se contulit Effrem
Cum socijs/vrbem procul ad deserta remotam.

DE FESTO PASCHE ET REDITV Christi in Bethaniam. De conuiuio Simonis & vngento Marię Magdalenę. De murmuratione discipulorum contra Mariam. De pactione Iudæ cum principibus: De xxx. denarijs. De consilio a Iudeis inito etiam contra Lazarum.

ET dū longinqua Christus regiōe morat̃/ Io.xi circa fine
Ecce ꝓpiquabat festū solēne: quot annis
Quod Iudea colit/phase dixere vetusti.
Post alij dicunt/translato nomine/pascha. De pasca agno et azimis vide Exodi.xii.
Transitus at nostri possent transferre latini/
Nam deus Aegyptum per totam transijt/omne
Percutiens primogenitum/discrimine nullo:
Seu foret illud homo: seu brutum/morte peremit

Postq̃ dies septem populus transiuit: & ipse
Liber ab Aegypto: multos vbi subditus annos
Seruierat/nomen dederat res ipsa diei.
Propterea ex veteri seruato in secula ritu
Azima septenis editur tunc esca diebus.
Inq; die quartodecimo sub vespere mensis
Quē dicunt illi primū: nos nomine Martis
Dicimus/incipiunt tales producere ritus.
Gens tota in primo/de septem: vescitur agno
Assato: pariter lactucas mandit agrestes/
Quemq; vorant agnū soliti sunt Pascha vocare/
Cuius nil reliqui debet vescentibus esse/
Ossa nec in toto fuerat fas corpore frangi.
Joannis xi. circa finem. Mos autem fuerat Iudeis tempore prisco
Ante diem festum Solymorū tendere in vrbem/
Vt se sanctificent/& iam conuenerat illo
De tribubus cunctis non enumerabile vulgus/
Q, quia de Christo partim rumore ferente
Audierat/partim, coram cognouerat ipsum/
Cum studio tantum querunt audire prophetam:
Quem cum non videant in templo more docentē
Iam solito/passim mixto sermone loquuntur
Dicentes/quid nam cause vos esse putatis/
Ille die festo q; non conuenit ad vrbem.
Jo. 12 circa princi. capituli. Marci 14. Per sex pascha dies aberat/cū Christus in oras
Bethanię rediit: subiens qui tecta Simonis

Leprosi conuiua fuit: tunc Lazarus ipse
Affuit/infernis nuper reuocatus ab vmbris
Et de conuiuis fuit accunbentibus vnus.
Martha ministrabat mensis operosa: recurrens
Nunc huc nunc illuc: illis dum vina propinat
Solicita/& lautis dapibus dum perficit orbes.
Sed Maria est aliis hoc tempore dedita curis/
Nam tulit vngentum pretiosum pondere libre/
Quod spico & nardo factum fragrabat odorem.
Pyxide mox fracta qua clauditur/ex alabastro
In caput effudit domini cenantis/& inde
Prona pedes vnxit/tersitq; subinde capillis/
Ex quo tota domus mirum persensit odorem.
Hec cum discipuli vidissent/ore frementes
Aduersus Mariam/tacito sic murmure secum
Obtrectant omnes/ad quid disperdidit illud/
Quod potuit melius pretio deuendere multo
Et dare pauperibus: sed Iudas qui Scariotes
Dictus: ex omni numero qui pessimus vnus/
Verba palam cunctis/audaci protulit ore/
Cur non ter centum nummis hec vendita merces/
Vt data sit potius, quibus hec debetur/egenis.
Non autem dixit/quia sit tibi maxima cura
De miseris/immo loculos quia falsus habebat/
Et de donatis partem fur demere rebus
Est solitus/tantam doluit fugisse rapinam.

ca pri. discordat tñ quia dicit post biduum.

Quod cum vidisset Iesus/sic fatur ad illos/
Cur hanc non sinitis/cur pergitis esse molesti?
Nanq; opus ipsa bonū mulier modo cōtulit in me:
Quippe inopes multos vos semꝑ habere potestis:
At me non vestrum est vobiscum semper habere/
Quod potuit fecit/preuenit inungere corpus:
Offitiumq; meo soluit nunc ipsa sepulchro.
Mathei.xxvi. Marci.xiiii. Tunc abijt Iudas ad primos: & phariseos:
Ad quos sic inquit/pretij quid tradere vultis,
Ipse ego si tradam/cupitis quē prendere: Christū.
Triginta statuunt illi tunc soluere nummos
Argenti: tanti est Christus diuendita merces.
Ioan.xii. circa principium. Inde modum querit Iudas: quo tradere possit:
Nanq; timet quenq; faciat ne turba tumultum
Et quia per totam Iudeam fama vagata est:
Q; tunc Bethanię cū Christo Lazarus esset:
Quē modo de tumulo functū rauocauerat atro.
Vndiq; turba ruit: studio commota videndi
Hoc facinus: tantam capiunt vix tecta cateruam.
Propterea pariter turbati tunc pharisei:
Et tibi crudelem meditantur Lazare mortem:
Nam tua cum videant turbę miracula: credunt
In Christum: populis credendi maxima causa es.

IESVS VENIT IN MONTEM OLIueti sedens super pullū asinę. Turba comitat̄ Iesum intrantē Hierusalē. Iesus aspitiēs vrbē futura predi

cit Iesus intrat templū et expellit vēdētes et emētes.

Postridie ab Hierico Christ⁹ dū p̄git ī vrbē
Iam prope castellū Bethfage noīe dictum
Venerat/& meditans aduersum scandere culmen
Montis oliueti/quod desuper eminet vrbi.
Ad socios versus/dixit sic ille duobus/
Ite in castellum/quod contra est/soluite pullum
Atq; asinam/biuio primum quos forte ligatos
Cernetis: propere ducatis protinus ad nos/
Si quis forte vetet vos ducere/dicite nostro
Sic opus est domino/subito vos mittet abire.
Sic faciunt iussi: quem nemo ascenderat vnq̄
Perducunt pullum/sternunt quem vestibus illi:
Post super imponunt dominū/gressumq; sequunt
At comites turbę sternebant strata viarum
Vestibus/aut patula demptis ex arbore ramis/
Ornabant passim qua transitus esset eunti.
Prętere a populi/quos festum traxit in vrbem/
Cum nossent dominum certo rumore venire
Accipiunt ramos palmarum/signa ferentes
Leticię/& facto sic ordine lęta iuuentus
Obuia procedit/sed cum descendere colle
Cœpissent turbę/propius q; accedere portas/
Tunc qui precedunt/simul & qui terga sequuntur
Preferunt laudes/alta sic voce canentes
Nomine qui domini venisti sis benedictus/

Johan .xii. Ibi In crastinū au tem &c. cir. pri.

Luce xviii. circa mediū capituli Marci xi. i pri. Mathei.xx. i fine & xxi. in prin.

Luce.xviii. Joannis.xii.

Marci.xi. i pri.

O sanna o fili Dauid: o qui maxima terris
Pax: & in excelsis ingens es gloria rebus.
Dum vehitur Iesus/ spectauit desuper vrbem/
Et fleuit dicens/ quia non tempora nosti/
Nec fuit auditus tibi qui conferre salutem
Venerat: aduenient hostes/ qui menia vallo
Circundent/ duraq; fame te protinus arctent/
Qui q; solo muros equent/ & corpora perdant:
Non in te lapidem lapidi superesse relinquent.
Mathei.xxi. circa principium. At postq̄ intrauit Iesus comitante caterua
Mœnia/ continuo murmur peruaserat vrbem
Attonitam/ tantum miratur quisq; tumultum
Ambiguus tantos cui plebs prestare honores.
Is subiens templum primum circumspicit illud
Lu.18 circa finē ca. Ma .11. sed tñ dicit hoc factū in die sequēti. Mar.21. concordat cū Luca hoc factū in die palmarum Neq; mora/ de templo vendentes expulit omnes/
Expulit et pariter quoscunq; inuenit ementes.
Inde trapezitum mensas subuertit/ & idem
Subuertit cathedras/ qui vendunt ere columbas
Ad quos sic inquit/ scriptū monumenta reseruāt/
Qꝫ domus orantum mea sit/ sic ipsa vocata est
Sed vos spelunce latronum redditis instar/
Non decus est summi/ non hec est gloria patris
Mathei.21. Tunc etiam gressum claudis/ & lumina cecis
Mathei.21. circa medium Et Mar. circa principium. Restituit/ varijs languentia corpora morbis
Curauit. demum sub vespere tecta reuisit
Bethaniç/ nam semper ibi domus hospita certa est.

Hinc repetit primã templum sub luce sequenti:
In quo multa docet/coram tentantibus illis/
Vt possint aliquo Christum deprendere verbis.
Pontifices igitur querebant perdere Iesum. Lu.xviij.in fine
Sed dubij ignorant: quo pacto sit peragendum. Joannis.xij.
Nanque videt totas post Christum pergere turbas Marci.xi.et.xij et.xiiij.
Suspensasque hominũ mentes sermone teneri Ma.xxi.in fine
Qui fluit a sacro domini saluberrimus ore.

IESVS FACIT PASCA CVM DISCIpulis suis: & eorum pedes lauat. Iesus predicit se tradendũ esse: et in cena sacramenta instituit corporis & sanguinis.

e T iam festa dies aderat: cũ pasca solebat
Occidi domibus pariter cũ quisque iubet
Azima sinceris epulari munera mensis.
Tunc adeunt Christum socij: sic ore locuti: Mathei.xiiij. Lu.xxij.in prin.
Ecce dies venit: qua sunt solennia pasche/
Cum iubet assato ritus nos vescier agno:
Si placitum dicas: vbi vis tibi pascha paremus.
Tunc ille ad Petrum & Ioannẽ: tendite in vrbem
Dixit/& occurret vobis: qui forte lagenam
Portat aque/vestros post illum tendite gressus
Vsque domũ: quamcunque subijt/subeatis & illam/
Dicite nunc domino: iussit nos ire magister
Ad te: qui dicit/nobis cenacula monstres/
In quibus hoc hodie possimus pascha parare/
Ostendet medijs stratam penetralibus aulam/

Illic quicquid opus nobis/sociisqʒ paretis.
Sic faciunt illi: venit cum tempus edendi
Accubuit medius/circum accunbentibus illis.

Luce. xxii.

Et cum cenarent/ sacro sic incipit ore
Cum desiderio vobiscum hoc pascha cupiui
Manducare prius/q̄ sim mea funera passus:
Nanqʒ illud posthac comedam non amplius vnq̄:
Donec plena mei patris sint omnia regno:
Tum calice accepto vinum partitur in omnes/
Et dixit/posthac nunq̄ de hoc flumine vitis
Ore bibam: donec omnes noua vina bibamus
In domibus patris nostri/cum pace recepti.

Joānis. xiii. in prin. solus dicit de lotiōe pedū.

Postpaulo assurgens/cum nondum cena parata/
Deposuit vestes/& sese lintea circum
Succinctus/properat lymphas infundere peluim/
Discipulisqʒ lauare pedes/& tergere panno:
Quo precinctus erat/quos ordine dum lauat oēs:
Ad Petrum venit/turbatus dicere Petrus
Incœpit/pedibus mihi fas est ipse ministres.
Cui referens Iesus/que nunc mysteria fiant
Ignoras prorsus/liquido post omnia nosces/
Quare extende pedes pariter tibi Petre lauandos.
At Petrus hec renuit/tanq̄ indigna recusat/
Aeternum dicens nunq̄ me Christe lauabis.
Ad quē sic Christus/si te non lauero Petre
Non tibi pars mecum fuerit: tunc otius ille/

Nō pedibus tantū lymphas mihi sparseris: immo
Et capiti & manibus fontes & flumina fundas.
At cum lauisset/vestes mox ille resumpsit/
Et rursum mensę accunbens/hec protulit orsus:
Vidistis nuper que vobis ordine feci/
Dum pedibus lymphas sparsi/dum colla subegi:
Quāuis sim dominus/sim q̄uis ipse magister/
Nempe exempla dedi/quod fœci/vt vos faciatis/
Alter vt alterius sit seruus/sitq; minister
Qui maior vestrum est/similis velit esse minori:
Et qui precedit/fiat velut ipse ministret.
Non domino maior seruus/mittente nec ipso
Est maior missus: quare faciatis & ipsi
Ipse ego quod fœci/dominum quē dicitis esse.
Hinc panem accepit/quē fregit/& benedixit/
Post tribuens illis/inquit iam sumite corpus/
Nanq; meum vere corpus/quod sumitis/hoc est
Quod datur ad mortem pro vobis/ne pereatis/
Hocq; mei memores post semper vos facietis.
Sic etiam calicem sumpsit cenatus/& inquit
Distribuens illis/ex hoc simul ore bibatis/
Nam meus est sanguis/pro multis qui redimēdis
Fundetur populis: cœpit data munera quisq;
Sanguinis/& carnis/multo veneratus honore.
Et subdit/verum volui vos ante monere — Joan.xiij.circa medium.
Quod cito iam fiet/capiti quod protinus instat/

Me vestrum tradet/mecum qui vescitur/vnus/
In mensa manus est eius/comeditq3/bibitq3
Insimul/hoc tantum versat qui pectore crimen.
Quod cum dixisset/vario cum murmure/tristes
Turbantur socij/quis nam foret ille nephandus
Inter se querunt:dominum sic quisq3 rogabat/.
Nunquid sum/dicas.dominus sic reddidit illis
Qui simul est mecū/immittitq3 parapside dextrā:
Is dominū tradet/sed multo sanctius esset:
Si nunq̄ natus tetigisset munera lucis.
Respondit Iudas:facinus qui corde gerebat/
An ne ego sum Rabbi:cui dixti rettulit ipse.
Preterea ex sotijs quidā:quē Christus amabat:
Forte sinu domini tristis recubebat/at illum
Admonuit nutu Petrus/quis proditor esset
Vt querat/de quo dominus sentiet:& ille
Incubuit supra pectus:dominumq3 rogauit
Quis foret is:tacito respōdit murmure Christus:
Cui panē intinctum dedero/mihi proditor ille est
Et subito intinctam Iudę porrexit offellam/
Adijtiens/propera quicquid facturus/abiq3.
Is subito exiuit:potuit nec noscere quisq̄
Ex socijs/quid verba dei sic dicta iuberent.
Sed quia nummorum loculos is forte tenebat:
Crediderant quidam/q̄ quid mandasset emendū
Quod tunc festa dies:solenneq3 pascha requirat:

Aut dare de loculis quicq̃ mandasset egenis.

IESVS SECEDIT IN VILLAM GETSEMANI IN MONTẼ OLIUETI. Iesus orat ter in orto et sanguinem sudat pre tristicia. Iudas venit cũ cohorte. Christus capitur. Et Petrus amputat aurem Malchi.

pOstq̃ sic fatus: dixerunt ordine laudes — Mathei.xxvi. Marci xiiij.
Post ẽpulas dici solitas / cũ mẽsa remota ẽ
Hinc iter ad montem carpunt / cui nomen oliuę
Inciderant / illic nam pernoctare solebant.
Interea ad socios loquitur sic / inter eundum: — Luce.xxij.
Omnes hac in me facietis scandala nocte /
Nam scriptũ est pecudes spargi / si vulnere pastor — Mathei.xxvi.
Percussus iaceat: vobis predico sed illud
Q; cum post mortem / viuentia membra resumã
Tunc adero vobis precedens in galilea.
Ad quem sic Petrus / q̃uis defecerit omnis /
Ipse tamen possim patiens occunbere tecum /
Ne tibi deficiam: reliqui promissa sequuntur.
Tunc Petro Iesus: quin me ter nocte negabis
Hac: prius acclamans q̃ gallus murmure cantet.
Postq̃ venissent in villam / nomine dictam /
Getsemani: dixit socijs / tellure sedete /
Donec non longe vadam / quo pronus adorem.
Et comites Petrum / tum natos e Zebedeo
Assumpsit pergens / tantum progressus ab illis /
Quantum quis iactu lapidem torquere lacerto

Poſſet: & exiguum torrentem nomine Cedron
Trangreſſus: ſolitũ ſubijt quem nouerat hortum.
Poſt ait ad comites/ vultus mutatus & ora:
Eſt anima ad mortem multa formidine triſtis/
Siſtite vos vigiles hic/ procedenſqꝫ puſillum/
In faciem cecidit pronus/ ſicqꝫ incipit orans/
Mathei xxvi. Summe pater: qui cuncta potes: rogo trãſfer amaru
Hunc calicis potum: ſi vis hec tranſeat hora/
Non tamen vt vellem: ſed ſit tua facta voluntas.
Sic poſtq̃ oraſſet: Petrum: ſocioſqꝫ reuiſit.
Qui pre triſticia lapſi: ſua membra quieti
Iam dederant: altum carpentes murmure ſomnũ.
Et dixit Petro: non vna peruigil hora
Eſſe potes mecum: vigiles orate: malignus
Ne vos ſeductor tentet: nam ſpiritus ipſe
Promptus adeſt/ infirma caro: fragiliſqꝫ: labanſqꝫ
Atqꝫ iterum rediens/ ſermonem orauit eundem.
Sed repetens ſocios/ claudentes lumina ſomno
Inuenit/ fuerant oculiqꝫ ſopore grauati.
Hinc redijt/ rurſus que ſunt orata perorans.
Tunc iacuit multo mens conſternata timore:
Factus vt exanimis/ pœnas dum corde volutat
Frigida ſudarunt nam laſſo in corpore membra.
Tum quoqꝫ qui multo manauit flumine ſudor
Is ceu ſanguis erat/ terram defluxus ad imam.
Angelus e ſummo venit tunc lapſus olympo

Solatus dominū/qui iam se fęcerat agnum:
Et demū ad socios veniens conspexit eosdem
Comprensos somno/fatur quos voce benigna/
Dormite o socij/simul & requiescite lassi/
Sufficit.ecce venit tempus/iamq; hora propīquat/
Qua dabor in manus peccantum:surgite eamus
Nam prope qui me tradet adest:illoq; loquente
Ecce venit Iudas primus/ducitq; cohortem Mathei.xxvi Marci.xiiij.
Fustibus & gladijs cinctam/quam contio pridem
Sęua sacerdotum dederat:tunc lumina prestant
Ignibus accensis laternę nubila noctis
Vincentes/facinus peragit dum turba cohortis.
Militibus signum dederat/quemcunq; fuisset
Amplexus/caperent illum/vinctumq; tenerent.
Accedens igitur Christum falso ore petiuit:
Et dixit salue Rabbi:cui Christus/amice
Ad quid venisti fatur/sic prodimur abs te Mathei. xxvi.
Oscula dum prestas/procedens obuius ipsis
Militibus sęuis/sed vos quem queritis inquit. Marci.xiiij.
Hij referunt Iesum/quem Nazareth edidit olim.
Ipse ego sum Iesus dixit:tunc turba retrorsum
In terram cecidit :Christus quem queritis ipsi Joannis.xviij.
Rursus ait:Christo sicut responderat ante
Turba refert/Iesum quē dicunt Nazaret ortum.
Ecce ego sum Iesus:dixi:non ipse negaui/
Sed si me petitis/socios mittatis abire.

Tunc armata cohors propius/ ſęuuſqꝫ tribunus
Acceſſit/ ſęui propius ceſſere miniſtri/
Mathei xxvi. Marci xiiij. Iniјciuntqꝫ manus/ nectentes vincula capto.
Tum Petrus exemit gladium/ quē forte gerebat/
Principis & ſeruo/ qui dictus nomine Malchus/
Amputat auriculam/ multo cum ſanguine/ dextrā
At Ieſus Petro: gladium conuerte choruſcum
Condeqꝫ vagine: nam quiſquis cœperit enſem
Vt quemq̄ perimat/ gladio ſimul ipſe peribit/
Nonne putas patrem precibus me flectere poſſe/
Qui mihi biſſenas legiones mittet ab alto
Preſidio angelicas/ & plus ſi plura rogabo/
Sed quo nam pacto/ ſi contra facta relucto/
Scripta prophetarum fuerint impleta ſacrorum.
Me bibere hūc calicem/ genitor quē miſit/ oportet
His dictis tetigit Malchi/ qui ſautius: aurem:
Luce xxij. Et mox incolumen fœcit. poſt verſus ad illas
Sic inquit turbas/ tanq̄ iam latro fuiſſem
Ad me precincti gladijs veniſtis/ & armis
Nonne ego vobiſcum verſatus tempore longo
Et prope quaqꝫ die ſtabam/ temploqꝫ docebam:
Cur me non captum tenuiſtis: nulla facultas
Nempe fuit vobis/ quia nondum dicta prophetū
Ordine preſcripto fuerant impleta/ ſed hec eſt
Mathei xxvi Marci xiiij. Que primum vobis tenebrarum facta poteſtas.
Tunc fugiunt comites. Chriſto inter tela relicto/

Discipulosq; sui subijt non cura magistri.
Sed tamen ex illis vnus: cui iunior ætas:
Cap tus ab armatis/prensa dum veste tenetur
Labi tur e manibus nudus/vestemq; reliquit.

IESVS DVCITVR AD ANNAM: ET Petrus primo negat Iesum. Iesus mittitur ab Anna ad Caypham: & falsi testes producunt cōtra eū. Petrus iterum atq; iterum negat Iesum. Gallus cantat: & Petrus amare flet.

Dvcit ergo man⁹ Iesus post terga reuinctus Joan.xviij.
Ad soceru͂ Caypheę primo/ q dicit Annas
At Petrus a longe sequitur: comitatur & illum
Alter discipulus: qui iam notissimus olim
Pontifici fuerat/solus quicq; atria primum
Cum turbis subijt: Petrum post duxit & intro
Fretus amicitia seruantis limina portę
Ancillę: que intrare videns tunc atria Petrum.
Contemplata virum/dixit/sed nunquid & ipse es
Huius discipulus: non sum respondit ad illam Joannis.xviij.
Petrus: & ad prunas (fuerat nam frigus) adiuit
Se miscens alijs/aderant qui in corte/ministris.
Postq̄ sic domin⁹ vinctus perductus ad Annā.
Hunc ille interrogat/qui sint sua dicta sequentes
Discipuli/& que sint illis que dogmata monstrat.
Cui Iesus/coram mundo presente loquutus
Sum nihil occulte: nam templis & synagogis
C

Dogma dabam populis/ex ipsis querite quid sit.
Pontificis quidam seruus/tunc farcitus ira/
In facie Christum palma percussit/& inquit
An sic pontifici respondes: talia contra
Verba dedit Iesus/si sum male fatus/idipsum
Attestare/meos vultus cur cedis & ora.
Hunc Annas igitur: cinctum custode/remisit
Ad generū Cayphā/Cayphas nam forte gerebat
Pontificis curas illius sedulus anni.
Ad quem pro tantis tractandis tota cucurrit
Contio scribarum/phariseos & seniores
Affectata duces/eadem quos cura tenebat.
Mathei.xxi. Marci.xiiii. Querebant igitur falsos producere testes/
Vt damnare virum possent/multiq; fuerunt
Marci.xiiii. Testantes falsum: sed nec concordia dictis
Affuit illorum: tandem dum multa requirunt/
Aduenere duo/dicunt qui/accepimus ipsum
Dixisse/vt templum sanctum disrumpere possit/
Et triduo reparans rursum componere totum.
Mathei.xxvi. Marci.xiiii. Tum Cayphas tumido surgens hec protulit ore/
Tum nihil aduersum testes/& dicta refellis/
Nonne audis quante deponunt crimina noxe.
Sed dominus tacuit: Cayphas sic querere rursus/
Per viuum te adiuro deum, mihi vera fatere/
Fare age sis ne dei: quem dicunt/filius ipse.
Tunc: ego sum dixit/cunctiq; videbitis olim

Cum veniam rursus/lapsus per nubila cœli
Virtutisq; dei dextram/thronoq; sedentem:
Et reprobis pœnas statuentem/& premia iustis.
Tunc princeps vestes scidit/& conuersus ad illos/ Mathei.xxvi. Marci.xiiij
O proceres nullis iam testibus inquit egemus
Audistis quantum crimen nunc excidit ore/
Blasphemus coram est/decernite quid sit agēdum.
Respondent proceres/det pœnas ille supremas/
Nam reus est mortis: famuli seuiq; ministri
Tunc faciem sputo fœdant/pars altera cedit
Sęua humeros colaphis/cedit pars altera vultus
Incutiens palmas/certantq; illudere ceso
Dicentes/nobis dicas nunc Christe propheta/
Quis te percussit/tua quis nunc ora cecidit.
At Petrus interea studiosus cuncta videndi: Mathei.xxvi.
Optat enim finis quis sit cognoscere rebus/
Principis vsq; domū turbas post terga sequutus:
Atriaq; ingressus/sese simul igne fouebat
Cum famulis reliquis/qui/qñ ancilla monebat/
Affantur Petrum: tu deq; sequacibus vnus Joa.xviij.
Illius fueras: Petrus sic esse negauit
Adiurans/hominem q; nunq̄ nouerat illum.
Tempore post modico: spatio non amplius horę: Joannis.xviij.
Accedens quidam/Malchi cognatus/& ipse
Pontificis seruus: Petrum cantando rogauit:
Nonne ego cum reliquis vidi te nuper in orto

Esse illi comitem/modo cũ deprendimus ipsum:
Ne vade inficias: nam te tua nota loquela
Prodit/& indigenam declarat te Galileum.
At Petrus audaci vultu contraria dixit:
Et non nosse virum cœpit iurare: subinde
Detestatus eum/quem tantus cœperit error.
Tum subito cantum nocturnus reddidit ales.
Mox quoq; conuertens oculos/seruumq; misertus
Inspexit Petrum Iesus/memoremq; priorum
Verborum fœcit: cum ter se nocte negandum
Dixerat: at Petrus concepto in corde dolore/
Egressusq; foras: secum defleuit amare.

IESVS MITTITVR A CAYPHA AD Pylatum: & a Pylato ad Herodem Galileę tetrarcham. Iudas pęnitentia sceleris ductus se suspendit. Ager figuli emitur: & Iesus ab Herode ad Pylatum remittitur:

Ma.xxvij. Marci.xiiij. Luce.xxiij. Joan.xviij.

i
IAmq; rubescebat stellis aurora fugatis/
Paulatim & cœlo lux albescebat Eoo:
Cum vigiles turbę Christum ad pretoria ducunt
Pylati Ponti/qui tunc pro iure Quiritum
Iura dabat preses: nam scribę tum seniores
Consilio certo puniri morte petebant:
Jo.xviij. Nec tamen intrarunt turbę de more tribunal
Presidis/vt non sint polluti/pascha volebant
Manducare pij: quare Pylatus ad illos
Exiuit dicens/sed quod nunc crimen in istum

Affertis: vestrę vel que nam causa querelę.
Respondent illi/si non hic esset iniquus/
Et si non operum factor foret ipse malorum/
Non equidem dura plectendum morte daremus.
Respondit preses/tanti si criminis iste est/
Sumite vos illum/legesq; rependite vestras/
Et mores veterum/ quos vestra volumina patrū
Conseruant: vestris seruatis legibus ipsi
Iam damnetis eum: contra clamatur ab illis/
Non fas est nobis leto decernere quenq̄
Sed tu qui censes causas/& crimina noscis
Accipe/nam nostram nixus subuertere gentem/
Quinetiam Augusto reddenda tributa negauit/ Luce.xxiij.
Dum coram regem Iudę si predicat esse
His monitus dictis intrat pretoria pręses/
A Christo querens/rex nunquid/vera fatere/ Mathei.xxvij. Joan.xviij.
Ipse es Iudeum: cui Christus/non mihi regnum
Ex hoc est mundo dixit: nam si foret inq̄
Pro me stare meos spectares nempe ministros/
Nec data Iudeis in me foret vlla potestas.
Ad quē Pylatus/q̄ sis rex ergo fateris.
Respondit dominus/dicis. sed crimina multa Mathei.xxvij.
Cum contra fingant instructi/cumq; dolosi
Circumstent testes/mendatia vana loquuti/
Non cuiq; verbum Christus post edidit vllum.
Ipse autem preses/tum respondere monebat/

Joannis.xviij. Tum miratus erat/ꝙ non ea falsa refellat/
Et demum ad stantes turbas exiuit:& illis
Nil inquit causę video/non crimen in isto
Inuenio:sed plus clamabant vndiqꝫ turbę/
Subuertit populos/veniens modo de Galilea
Ad nos vsqꝫ/nouę tradit dum dogmata sectę.
Luce.xxiij. Audijt vt preses Galileę nomina terrę/
Imperio Herodes quam tunc tetrarcha tenebat.
Vt gratum faceret regi/quem rursus amicum
Esse sibi exoptat/nam lis diuiserat illos.
Mittit ad Herodem Christum/nam subditus ipsi
Est ratione soli natalis/facta repente est
Pax inter dominos/misso iam munere tanto.
Mathei.xxvij. Interea Iudas/vt Christo fata parari
Vidit:& ad mortem totam concurrere turbam
Pœnituit tanti sceleris/trigintaqꝫ nummos
Rettulit ad scribas/peccaui deniqꝫ dicens/
Proditor ipse fui iusti nam sanguinis huius.
Cui scribę referunt/hoc sed quid pertinet ad nos/
Videris ipse tuum factum.quos rettulit ipse
Argenti nummos templo proiecit/& vltro
Inde abiens laqueo sese suspendit ab alto.
Accipiunt nummos/mercedem sanguinis/illi
Sed non esse rati fas illos carbona seruet
Muneribus mixtos/pretium quia sanguinis esset
Emerunt agrum figuli/quo inferre liceret

Quosq; peregrinos defunctos/nomen & illi
Fertur Acheldemac/hoc est a sanguine campus.
Astitit vt Christus coram/iam letior illum Luce.xxiij.
Accipit Herodes hominem/qui & signa videre
Tempore iam multo cupijt/sed copia nunq̃
Ante fuit/primum tunc est oblata potestas:
Cum celebris causa festi venisset in vrbem.
Herodes igitur multo sermone monebat/
Orabatq; loqui Christum: sed reddere verbum
Non vllum voluit Christus/licet ille rogaret.
Tum quoq; non cessat/non accusare remittit
Turba sacerdotum/ quin id constantius vrget.
Hunc ergo Herodes spreuit/stolidumq; putauit/
Illudensq; illum/vestem superinduit albam:
Mos erat is gentis stultis hoc addere tegmen/
Post tanq̃ hoc stultum Pylati ad iura remisit.

PYLATVS CONSVLIT IVDEIS VT Christus dimittatur: quia vxor somniauerat. Iesus induitur purpura: & corona spinea & arũdine. Pylatus sedit pro tribunali in Licostrato lauit manus & tradidit Christum Iudeis.

Et postq̃ Christus sic est a rege remissus: Luce.xxiij.
Tunc iterũ preses turbis & plebe vocata/
Sic ait/ecce hominẽ/quem vos subuertere gentem
Dixistis/coram/vobis spectantibus ipsis
Discussi/sed nulla necis iam causa reperta est:
Morte nihil dignum video/nec morte perire

Par erit insontem: quem nil peccasse docemur.
Hoc etiam Herodes censet/cum nil capitale
Dixerit aduersus: sed tantum simplicitatis
Luce.xxiii. Illusit/niueum dum supra induxit amictum.
Emendando virum/seuis cedamqꝫ flagellis/
Post missum faciam: nam festi iure diei
Vnum de vinctis mos est e carcere mitti.
Scilicet hec preses dixit/nanqꝫ ipse videbat
Inuidia motos Iudeos tradere Christum.
Mathei.xxvii. Tum quia ius dicens/solito dum more sederet/
Impiger vxoris venit sic nuntius orans:
Supplicat hoc precibus tua te vehementius vxor/
Nil facias illi iusto Pylate molesti/
Plurima propter eum passa est: per nanqꝫ quietem
Ante oculos eius versata est tristis imago.
Joannis.xviii. Tunc populus monitus per scribas & phariseos
Non hunc: sed Barrabā clamat de carcere mittas.
At Barrabas latro fuerat/qui nuper in vrbe
Seditio cum nata foret/se seditiosis
Miscuit: atqꝫ hominem crudeli morte peremit/
Propterea fuerat plectendus carcere trusus.
Luce.xxiii. Tunc igitur Iesum cedendum fustibus affert
Joannis.xix. Militibus preses/capiti compressa corona est
Mathei.xxvi. E spinis/multum que tempora cincta cruentat.
Tum quoqꝫ purpureo ceu regem vestit amictu/
Pro sceptro & sacram redimiuit arundine dextrā

Ad quē ludendum veniunt/& poplite flexo
Vt regem Iudę spernentes/ore salutant
Hic faciem sputo fœdat/sed arundine cedit
Ille caput/rursus preses perduxit ad illos/
Hinc ait/ecce hominē duco: scitote nec vllam
Q› causam inuenio: coram tunc prodijt ergo
Ad populum Iesus/pressa ceruice corona/
Vesteq; purpurea/regali tegmine/cultus.
Hunc cum vidissent: illo cū tegmine/turbę
Et caput ē spinis punctum dyademate duro.
Clamabant confige cruci/confige merentem/
Cum lex nostra mori iubeat quicunq; fatetur:
Se genitum de patre deo. Pylatus ob illuc
Extimuit/rursus repetens pretoria/sedit:
Et Iesum interrogans/dicebat que sit origo
Dic tua/fare mihi. responsum non dedit illi.
At Pylatus ei: cur non mihi faris: an illud Ioan.xix.
Nescius ignoras/q; sit mihi tanta potestas/
Vt tibi tam vitam q̄ mortem tradere possim.
At nullam Iesus me contra prorsus haberes
Vim: concessa foret nisi tibi iam desuper illa.
Tempore iam ex illo preses meditatur vt ipsum
Dimissum faciat: mentem sed plurima turbant:
Nanq; timet populum: populus cognouerat illud
Quare quo timeat magis & magis: ille reclamat
Hunc si dimittas: non es censendus amicus

Cęsaris/omnis enim qui se regem esse fatetur/
Cęsario iuri certe contrarius ille est.
Tunc magis extimuit preses sermonibus istis/
Propterea cernens frustra tentare salutem
Illius/& magnum fieri tota vrbe tumultum/
Exijt ad turbas/Christum produxit & ipsum:
Ascenditqꝫ nouum dicturus iura tribunal.
Joan.xix. Nempe locum veteres hunc Licostratio dicunt/
Alta tribunalis quo tunc subsellia fixit
Gabbata Iudei dicunt:iamqꝫ hora diei
Sexta fuit:magni postq̄ venit altera festi.
Tunc residens scamno preses sublimis in alto/
Ecce iterum rex vester adest/senioribus inquit.
At scribę & populi primates ore frementes
Tolle hominē/confige cruci/confige merentem/
Non etenim regem/ni rex sit Cęsar/habemus.
Mathei.xxvij Tunc accepit aquam preses/manibusqꝫ lauatis/
Sic ait ad turbas/sum certe a sanguine iusti
Innocuus/penitus tanti sum criminis expers/
Sed vos videritis:populus respondit ad illud:
In nos:quicquid erit factum non iure/redundet:
Atqꝫ super natos nostros sit deniqꝫ sanguis.
Tunc demum Barabam Pylatus misit inultum:
Tradidit & Christum Iudeis morte necandum.
Mathei.xxvij. Sed prius est illi regalis purpura adempta:
Marci.xv. Et propria est iterum quam gessit reddita vestis.

IESVS DVCITVR A IVDEIS VT crucifigat̄: & a Simone Cyreneo in portād̄a cruce adiuuat̄. Iesus ad mulieres versus: ventura predicit: & tandē Caluariā tractus: mysteria passionis cōsumauit.

P Ostq̄ Iudeis est Christi facta potestas/
Accipiūt illum/magnoq3 furore trahētes
Vt cruci suspendāt/properāt quodcūq3 necesse est
Iamq3 foras fuerant egressi/ex vrbe ruentes/
Cum forte aspiciunt redeuntem rure Symonem Ma.xxvij.
Cyrene genitum/mox illum tollere cogunt Marci.xv.
Et portare crucem Christi post terga sequentem. Luce.xxiij.
Turba sequebatur mulierum/tumq3 virorum Marci.xv.
Plangentum/multis & lamentata querelis.
Ad quā conuersus Christus/sic ore loquutus:
Nolite o Solymę matres mea funera flere/
Flete super natos vestros/ & vos super ipsas/
Nam veniet tempus/cum dulci prole carentes/
Et que non natos lactarunt vbere matres/
Hoc quia prole carent/se dicent esse beatas.
Orabunt montes/venient vt desuper/altos
Obruat vtq3 caput moles a collibus acta.
Deuenere locum tandem/quē Golgata dicunt/ Matthei.xxvij.
Et quem Romano dicas Caluaria more. Marci.xv.
Tunc mixtum felli vinum tribuere bibendum Luce xxiij.
Carnifices Christo/quod cum gustasset amarum: Joan.xix.
Non bibit.hinc nudum statuūt/misereq3 tremētis

Prosternunt sanctum corpus tellure supinum/
Et cruce confossis distendunt brachia palmis/
Inde pedes tractos tantum: ꝙ ab ossibus ossa/
Et nerui a proprijs discedunt artubus omnes
Parte sub extrema figunt in robore ligni.
Luce.xxiiij. Tunc clamans Iesus sic pro tortoribus orat/
¶ Primũ vbũ Is ignosce pater/quia non sua crimina noscunt/
Nec sua facta vident/credunt sed cede litare.
Ma.xxvij Tollitur ergo deus sua brachia passus in altum/
Marci.xv. Joan.xix. Atqȝ duo secum tolluntur iure nocentes.
Alter erat dextris pendens/alterqȝ sinistris.
Pręterea mortis causam descripserat alta
In cruce Pylatus/Iesus de Nazareth vrbe
Et rex Iudeum pendens est iste profecto.
His fuerat verbis in summo scripta tabella
Hebreis simul & Gręcis pariterqȝ Latinis.
Hoc scriptum quidam non equa mente ferentes/
Pylato dicunt/noli describere regem/
Sed quia se regem dixit: tunc talia preses
Respondit/titulum scriptum/nec crimina mutem
Quod scripsi scripsi: maneant que scripta legũtur.
At postꝙ̄ fuerat Iesus sublatus ad alta/
Mathei.xxvij. Carnifices partes vestis fecere quaternas/
Marci.xv. Joan.xix. Quisqȝ suam capiens: tunicam sed rettulit vnus:
Quem sors ferre dedit totam/non illa soluta est/
Cum neqȝ scindendus tantus sit visus amictus/

Nam tunica interior partes contexta per omnes Joannis.xviij.
Artis opus mire fuerat: nec sutile tegmen.
Interea genitrix Christi: Marieq; sorores: Joannis.xix.
Discipulusq; simul: multum quem Iesus amauit:
Astabant iuxta lignum: multoq; dolore
Confecti: vt lassos regeret vix spiritus artus:
Quos cum vidisset: sublimis in aere: natus:
Sic ait ad matrem / mulier non ipsa relicta es: ¶Secundum.
Filius ecce tuus: te isto solabere nato.
Discipulo rursus dicens: hanc accipe matrem:
Ecce tua est genitrix: ex illa protinus hora
Discipulus matrem Mariam sibi cepit habendam.
At dum nostra salus: sublimi in robore pendet. Mathei.xxvij. Marci.xv. Luce.xxiij.
Iactabant illi: cur non descendis ab alto:
Si natus de patre deo: discrimina pelle:
Te saluum faciens: alios cum feceris olim:
Hoc si viderimus credemus protinus omnes
Nec minus ex illis iuxta pendentibus: alter Mathei.xxvij. Marci.xv. Luce.xxiij.
In dominũ blasphemꝰ erat: nam versus ad ipsum
Dicebat: si certa dei proles: si filius ipse es:
Fac nos a tanto tecum discrimine saluos.
At alius latro: dextera qui a parte luebat:
Acriter incusat socium ꝙ talia dicat
Aduersus Christum / dicens / cur ore lacessis
Hunc iustum / nullo qui dat pro crimine poenas.
Nos capimꝰ nostris digna hec nam premia factis

Insuper ad Christum versus/sic ille rogabat/

¶Tertium. Sis memor o nostri:proles certissima summi

Regis cœlicolum:tunc cum tua regna tenebis.

Marci.xv. Ad quem respondens/hodie sublimia cœli

Luce.xxiij. Ipse comes mecum scandes/ciuisq; manebis

Aeternum placidi genitor quo regnat olimpi.

Preterea quantū post sextam labitur horam

Temporis ad nonam/tantum cooperta tenebris

Tota fuit tellus/solitum nam fundere lumen

Cessauit Phœbus/ceu Christi fata doleret.

Mathei.xxvij. Circiter ad nonam/magna de pectore voce

Marci.xv. Clamauit dominus/sermonē qui incipit hely/

¶Quartum Hoc est/vt quid me liquisti maxime rector

Cœlorum/terreq; deus:sed vulgus ineptum

Joan.xix. Q? vocet Helyam credit:iam cernite dicens.

Helyas an prestet opem/veniatq; vocatus/

Vt cruci deponens ex alta liberet ipsum.

Et tandem Christus series quo tota prophetum

¶Quintum. Consumata foret/languens sitiensq; poposcit:

Vt potum exhibeant:currens tunc otius vnus/

Admouit labris domini sitientis acetum/

Spongia pro cyatho confixa est cuspide canne/

Quod cum gustasset renuit:tum protinus inquit:

Mathei.xxvij. Iam consumatū est:cōpleuimus omne:quod ante

Marci.xv. De me conscripsit venturum sancta vetustas.

Quare postremo rursus clamauit/& inquit/

O pater hanc animā iam tandem suscipe queso/ ¶ Septimum. Luce. xxiij. Joannis. xix.
In manibusq; tuis requiescat spiritus ipse. Mathei. xxvij.
His dictis dominus caput inclinauit ad ima: Marci. xv.
Emisitq; animā sanctam moribundus ad astra.
Tunc velum templi scissum de culmine summo Luce. xxiij.
Ad terram/partesq; duas secessit in equas.
Preterea tellus tremuit/commotaq; tota est:
Et lapides scissi sunt/& monumenta reclusa/
Ex quibus a somno sanctorum corpora multa
Surrexisse ferunt/in sancta pluribus vrbe
Sese monstrarunt clara sub luce per auras.
Et quia festa dies Iudeis proxima lux est:
Nec fore rem dignam visum/q̄ corpora festo
In cruce penderent/a preside facta potestas/
Cruribus vt fractis festinent tradere morti/
Et cruce deponant/tortores crura duorum
Fregerunt/fatum donec videre supremum
Frangere crura dei simili cum sorte pararent/
Viderunt functum: quare tunc cuspide ferri
In latus insultat miles/quod vulnere apertum
Reddidit ingenti/manarunt sanguine lymphe
Admixte/& longum rigue fluxere per hastam.
Candide lector habes seriem tibi nempe relatā:
Vt moritur dominus/faciat quo viuere seruos/
Vtq; bonus pastor perijt: quo seruet ouile.
Viuere iam studeas/quādo mors oīs adempta est/

Et patet ad certam latiſſima ſemita vitam.
Nunc moritur nullus/niſi qui non viuere curat.
POETE ORATIO ad deum pro concluſione.
Aſt ergo ſumme pater/poſſet tibi ſi qua referri
Gratia: tentarem quo munera grata referrem
Hoc quia per tantos me miſeris ire labores:
Quos olim fueras humano corpore paſſus.
Sed quia nemo tibi poſſit perſoluere grates
Dignas. & meritis a te venientibus equas/
Cum neqꝫ qui debet/par ſit cui dedita res eſt.
Sat mihi ſit ſummū te noſcere/meqꝫ puſillum/
Et dare que nequeo/tibi me debere fateri.
Hoc orem potius ſupplex/o conditor orbis/
Vt non incaſſum fueris diuenditus olim
A Iuda/& tanq̄ latro per tempora noctis
Captus ab impuris/perſtricto fune ligatus/
Et ductus preceps/cunctis deſertus amicis.
Ne velis fruſtra/pro nobis ſanguine fuſo:
Tot mala ſis paſſus: proſit tua membra flagellis:
Et faciem ceſam palmis: humeroſqꝫ: caputqꝫ
Pulſatum totiens a ſęua gente fuiſſe.
Proſit ꝙ ſputo multum fœdatus: & ora:
Illuſus fueris: per ludum rexqꝫ vocatus:
Q› tibi purpureus ſupereſt inductus amictus:
Et data pro ſceptro fuerit ꝙ vilis arundo:
Q› ſimul Herodes niueo te vellere texit:

Vtpote qui stolido similem te censuit/atq;
Prosit mite caput:quod sensit arundinis ictus/
Confossumq; fuit spinis/& fronte cruenta
Irrigui fontes manarunt inde liquoris.
Nec minus ad nostram conuertas illa salutem:
Que lassus portando crucem:tormenta subisti:
Dum tibi mēbra labāt/virtus dum deficit omnis
Scandenti montem/ligni dum pondere pressus:
Sępe cadis/nullo te de tellure leuante/
Sed traheris dure/nullo miserante labores.
Insuper & vinum mixtum/quod felle bibisti/
Prosit q manibus passis sublatus ad alta/
Irrisus turpi dederas spectacula genti/
Vulnera que claui manuum fecere/pedumq;:
Et lateris vulnus/fœcit quod ferrea cuspis/
Omnia pro nostra fuerint non vana salute.
Et prodesse velis/que pendens verba loquutus.
Ad matrem:& socium testatus voce dolorem:
Queq; prius fatus dum pro tortoribus oras:
Illa etiam dextro que dixti verba latroni
In cruce dum pendens:tum q clamaueris hely/
Q₉ consumatum/sitiens q vina petisti/
Q₉q; animā mandas manibus post oīa patris/
Lancea/sint claui:it spongia/tum sit arundo
Que tibi non bibitum sicienti misit acetum/
Deniq; nō frustra mixtas cum sanguine lymphas:

Sparseris/inuanū tellus madefacta cruore
Non fuerit sacro/vestes nec sanguine tincte.
Det pater emptorē simul vt res empta sequatur/
Quandoquidem pretium non est vulgare solutū.
Nos res empta sumus, noster tu Christe redēptor
Et tuus est sanguis precium/da lauerit vt nos
Vnda tui lateris/ꝙ sit sic noxia culpa
Diluta/vt turpis non stent vestigia labis.
Sic nitidi facti simus: sic veste decora/
Inter vt electos numeres nos/quando vocabis/
Inter conuiuas sacrisq; accunbere mensis
Nos dignere tuis/qui cuncta in secula regnas:
Cum patre & sancto qui replet spiritus orbem.

POETE GRATIFICATIO AD LECTOREM.

Iamq; vale lector: queris si noscere nomen
Auctoris/dedit hoc Mancinus carmen amicis/
Et Christi famulis/maius qui tradere vellet/
Si posset maius/tamen hoc satis esse putauit
Iudicium mentis/q̄ sit prodesse paratus
Omnibus/vt memores facti per carmina/mortis
Quam subijt Christus/proprię sint inde salutis
Admoniti/& solita Christi nos morte mereri.
Aeternę vt vitę sint nobis gaudia: lector
Salue iterum/clauso venit iam vesper olympo.

FINIS.